1863

QUÆSTIONES ANNO 1863

collationibus theologicis

IN ARCHIDIŒCESI QUEBECENSI DISCUTIENDÆ

MENSE JANUARIO.

Petrus sacerdos cum sciat ex tractatu *de Censuris* ignorantiam excusare a censuris, sedulò abstinet a studenda iis auctoribus quos suspicatur posse sibi notas facere censuras quæ incurri possunt. Quâdam tamen die comperit se quamdam culpam gravem commisisse quæ suspensionem *ipso facto* inducit, et timet ne irregularitatem incurrerit propter administrationem plurimorum sacramentorum et celebrationem missæ. Hinc anxius quærit:

1°. Quid sit censura et irregularitas?
2°. Quænam ignorantia a censuris et irregularitatibus excuset?
3°. Quid in casu?

Sempronius parochiam sibi assignatam ingressus, comperit in ecclesiâ extitisse jam a longo tempore consuetudinem vi cujus lampas non ardet noctu et ponitur a latere altaris.

Hinc quærit utrum talem consuetudinem omnino debeat statim reformare?

MENSE MAIO.

Titius interrogatus a confessario utrùm in confessionibus præteritis sufficientem contritionem habuerit, respondet se jam a tribus annis totum incubuisse ut actum charitatis quàm vehementissimum ergà Deum eliceret antè confessionem et dum absolutionem reciperet; nullum vero contritionis actum propriè formalem in confessionibus elicuisse. Addit insuper se olim sedulo curavisse ut actum doloris circà peccata commissa eliceret, sed boni propositi actum formalem neglexisse.

Hinc quærit confessarius quid sentiendum de confessionibus Titii?

Bertha vidua, adhuc minor, vult iterùm nubere. Quæritur utrùm debeat patris consensum requirere et utrùm banna publicari debeant in parochiâ patris, vel mariti defuncti, vel præsentis habitationis?

MENSE AUGUSTO.

Petrus sacerdos ut probabiliorem habet opinionem quæ tenet res inventas et quarum dominus inveniri non potuit, in pias causas expendendas esse. Quâdam autem die cum invenisset magnam pecuniæ summam, diligentissimè sed in vanum dominum exquisivit. Tunc secum reputare cœpit se posse eam summam sibi reservare, quia opinio supra exposita licet magis tuta et probabilior non impedit quin opinio contraria, minus tuta et minus probabilis, gravibus rationibus fulciatur et gravibus auctoribus satis probabilis videatur. Hanc igitur summam adhibuit ad constituendam dotem sorori suæ.

Sempronius autem ejus confessarius ipsi denegavit absolutionem nisi summam æquivalentem in pias causas expenderet.

Caius alter confessarius eum absolvit, nullâ restitutione impositâ.

Quæritur 1°. An possit quis in praxi tenere opinionem quam judicat minùs tutam et minùs probabilem ?

2°. An possit confessarius exigere ut pœnitens partem tutiorem amplectatur ?

3°. Quid sentiendum de modo agendi Sempronii et Caii ?

Sempronius parochus utitur stolâ super cottam quando pronaum facit vel prædicat in suâ parochiâ, et quando præest vesperis, non autem quando confessiones audit.

Quæritur an in hoc sese benè conformet legibus hujus archidiœcesis ?

MENSE OCTOBRI.

Caius laicus commercialem societatem inivit cum Titio heretico. Eum aliquandò secum adducit in ecclesiam occasione quarumdam solemnitatum; templa heretica cum ea visitat dum celebrantur officia; de fide disputat; defuncti Titii corpus ad templum et ad cœmeterium comitatur et tandem, memor beneficiorum ejus et amicitiæ, eleemosynas offert ut missæ pro eo cantentur et celebrentur.

Quæritur : 1°. Quænam communicatio cum hereticis vetita sit ?

2°. Quid de variis Caii communicationibus cum Titio ?

3°. Quid consulendum parocho circâ missas petitas ?

Sempronius parochus, quando dat communionem extrâ missam, non recitat antiphonam *O Sacrum*... neque versiculos et orationem quæ in rituali romano continentur.

Quæritur quinam sit verus sensus rubricæ ritualis romani circâ illas preces ?